

NIVERSIS, ET SINGVLIS. qui
 bus hæ nostræ literæ exhibebuntur, Salutem & Apo-
 stolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecit di-
 lectus filius Antonius de Blado in alma Vrbe nostra
 librorum Impressor. Quod ipse opera quondam Ni-
 colai Maclauelli ciuis Florentini in materno sermone conscripta, ui-
 delicet historiam, ac de Principe, & de Discursibus imprimere seu
 imprimi facere intendit: uereturquè ne alij postmodum ex suo labore
 & impensa, quam in dictis operibus imprimendis faciet, sibi lucrum
 querentes, illa imprimant, seu imprimi faciant, in illius iacturam &
 detrimentum. Quare idem Antonius nobis humiliter supplicari fecit
 ut sibi in premisis opportune providere de benignitate apostolica digna
 remur. Nos igitur honesto ipsius Antonij desiderio annuere, ac il-
 lius indemnitati obuiare uolentes. Omnibus & singulis impressoribus,
 Bibliopolis, alijs cuiuscunque status, gradus, & conditionis existentibus
 nostræ ditioni temporaliter non subiectis, in uirtute sanctæ obedientiæ, et
 sub excommunicationis latæ sententiæ pœna: nobis uero, & Sanctæ Ro-
 manæ Ecclesiæ mediate uel immediate subiectis, etiam sub amissionis
 librorum impressorum, & uiginti quinque ducatorum auri de Camera
 prouina Cameræ nostræ apostolicæ, pro reliqua uero medietatibus, præ-
 fato Antonio totiens quotiens contrauentum fuerit, applicandis pœnis,
 districtè præcipimus & mandamus. Quatenus dicta opera per prædi-
 ctum Antonium ut præfertur, imprimenda, ad decennium non impri-
 mant, nequè imprimi facere, aut uendere, seu uenalia habere audeant,
 uel præsumant, nisi ad id dicti Antonij expressus accesserit assensus.
 Quocirca quibusuis locorum ordinarijs, seu eorum officialibus, & Vi-
 carijs in spiritualibus generalibus cõmittimus per presentes, ut ubi, quan-
 do, & quotiens pro parte dicti Antonij requisiti fuerint, ipsi Antonio
 efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant presentes litteras &
 in eis contenta quæcunque inuiolabiliter obseruari, & publicari. Con-
 tradictores quoslibet, & rebelles per censuras ecclesiasticas, & pœnas
 prædictas appellatione postposita compescendo. Inuocato etiam ad hoc
 si opus fuerit auxilio brachij secularis. In contrarium facientibus non
 obstantibus quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub
 annulo piscatoris die XXIII. Augusti. M. D. XXXI.

Pontificatus

Nostri

Anno

Ostauo.

Blosius

† ij